

creantem esse formaliter transeuntem. Veram 1) intelligi non potest penes hos auctores quid sit haec actio in creatura, nam vel est aliquid creatum, et hoc est terminus actionis creationis; vel non est aliquid creatum aut concreatum, et erit nihil. Neque intelligitur quomodo haec dependentia sit aliquid aliud praeter relationem resultantem ex termino creationis qui est ipsa creatura, et quomodo creatura sit terminus dependentiae quae illam supponit. Neque intelligitur quomodo haec dependentia sit modus rei distinctus ex natura rei a creatura, nam et hi modi distincti ex natura rei iure optimo (ut minimum dicamus) reiciuntur a philosophis (Cf. Instit. Philos. O. Th. XVII), atque iste modus, quidquid sit, debet esse creatus, vel concreatus, h. e. terminus creationis. 2) Haec theoria actionis admissa, manet adhuc integra quaestio, quid sit illud per quod a Deo creatura, et haec actio in ea existens procedit, quae quaestio solvi non potest nisi indigitando aliquid in ipso Deo quod sit ratio effectus extra ipsum. Porro hoc quod in Deo est ratio existentiae creaturarum debet esse potestas, potestas in actu, sive actus, actus autem citra ullam applicationem ad subiectum extrinsecum: ergo necesse est adserere Deo creativam actionem immanentem.

Itaque cum activa creatio debeat esse actus formaliter immanens et simul aliquo modo transiens, quia effectus extra ponitur: restat ut *virtualiter* sit transiens, h. e. sit tantae efficaciae ut secundum eius naturam effectus sequatur.

VI. Haec obiter adverte quod respectus, qui concipitur inter voluntatem efficientem et res factas, non est ex parte Dei nisi quidam respectus transcendentialis. Est quidam respectus quatenus volitio alienius rei a se distinctae connotat terminum eiusdem volitionis; est respectus transcendentialis, quia actus divinus, qui est ipsa essentia, est ex toto independens a rebus.

VII. Doctrinae a nobis traditae suffragatur s. Thomas. Nam I. p. q. XLV. a. 3. ad 1 docet actionem divinam creantem esse Dei essentiam; ergo ratio creans est aliquid in Deo, si est ipse Deus; et est actus immanens, si est actio identica divinae essentiae. In lib. II. c. G. c. 23. n. 4. doctrinam nostram disertissime tradit: ait enim « duplex est actio, una quae manet in agente, et est perfectio ipsius, ut videre: alia quae transit in exteriora, et est perfectio facti, sicut comburere in igne. Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum quae non sunt in agente, cum sua actio sit sua substantia, ut in I. libro probatum est. Oportet igitur quod sit de genere earum actionum quae sunt in agente, et sunt quasi perfectio ipsius. Huiusmodi autem non sunt nisi actiones cognoscentis et appetentis. Deus igitur cognoscendo et volendo agit. » Atque

ibid. c. 31 n. 3. inquit: « ostensum est supra quod Deus non agit aliqua actione, quae sit extra ipsum, quasi ab ipso exiens et in creaturam terminata, sicut calefactio exit ab igne et terminatur in ligna: sed eius velle est eius agere; et hoc modo sunt res secundum quod Deus vult eas esse ». Quamvis vero idem S. Doctor in I. p. q. XXV. a. 1. distinguat potentiam Dei secundum rationem a scientia et voluntate; responderi tamen potest quod vel loquitur de ea inadaequata distinctione, quam supra explicavimus; vel certe aliam distinctionem non defendit tanquam certam: inquit enim ad 4. « vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae ». Idem quod I. c. C. G. docet, obiter quidem, Thomas q. XXIII. de Veritate, a. 4. ad 13. Cf. supra hac re Faure Enchirid. n. IX.

VIII. Cum mundum Deus condiderit volens; quaeri adhuc potest an haec volitio Dei fuerit libera, nec ne. Porro si ratio loquendi Scripturarum consideretur, quemadmodum ex iis intelligimus Deum voluntate creasse mundum, ita quoque perspicuum est voluntatem Dei liberrimam fuisse in opere creationis. Sane Deus dicitur fecisse omnia *quaecumque voluit* Psal. CXIII. 3, CXXXIV. 6, et operari omnia *secundum consilium voluntatis suae*. Iam vero phrasid haec: *facit omnia quae vult 1)* significat independentiam agentis ab extrinseco; 2) significat quoque immunitatem ab intrinseca necessitate; quia ex usu communi loquendi non dicitur nisi de iis, qui dominium suarum actionum habent, et quoad eas actiones quae liberae sunt (Cf. I Cor. VII. 36. 37). Et re quidem vera in hac phrasid: *facit quod vult*, verba *quod vult* electionem significant voluntatis. Etenim adsignificatur plura esse quae fieri possunt ab agente, qui volendo determinat quenam ex pluribus esse debeant, quae determinatio est actus electionis. Rursus electio disertissime significatur alia loquendi formula: *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, ut videre est penes S. Thomam. I. II. q. XIII. a. 1. quod et omnibus esse notum debet, qui quid sit electio non ignorant; atqui voluntas eligens est voluntas libera: ergo.

Itaque omnia Deus libere efficit; ergo actus voluntatis, quo mundum creavit, liber est. Eandem doctrinam repetunt Patres, ut Irenaeus L. III. c. 8. « Ipse omnia libere fecit, et quemadmodum voluit. » Hippolytus adv. Noet. n. 10. « Fecit sicut voluit, Deus enim erat. » August. De Civ. Dei. L. II. c. 24. « Liberrima voluntate fecit. » Theodoretus sic libertatem Dei in creando enarrat (De Curand. graecorum affectionibus IV. De materia): « Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, ut sacrae Scripturae testantur. Voluit autem non quaecumque

poterat, sed quae satis esse censuit. Facile enim illi fuerat decies aut vicies mille mundos producere, quandoque velle omnium operum est facillimum. Nam et nobis ipsis omnium facillimum est velle; sed voluntatem nostram non illicio sequitur facultas. Deus autem universorum quae vult omnino potest. Divinae siquidem voluntati facultas cohaeret. Neque tamen rerum creationem sua potestate commensus est, sed quae voluit ea fecit. » Basilium autem in hexaem. h. I. n. 7. advertit Moysen usum esse verbo *ἐποίησε*, non *ἐνιργήσας* neque *ὑπέστησας*, ut duos excluderet errores, tum eorum qui Deum libere creasse mundum negabant, tum eorum qui mundum non a Deo factum, sed veluti eius potentiae adumbrationem aeternam volebant. Dixit ergo *ἐποίησε* ut ostenderet artificem libere condentem *extra se* mundum.

Huc in primis facit disputatio Patrum cum Arianis, qui volebant Filium voluntate Patris genitum, ideoque non coaeternum Patri. Patrum e contrario doctrina erat Filium esse naturā Filium: atque hoc esse discrimen Filium inter et creaturas, quod hae existant voluntate Dei, et proinde quod non existant necessario; Filius sit naturā, quae est prior voluntate. (lege Athanasium Orat. III. contra Arianos). Iam vero voluntas per quam res quae existunt dicuntur non existere necessario, voluntas quae est posterior natura, est voluntas libera, sive electio voluntatis. Ergo.

Tertullianus autem adv. Marcionem L. I. c. 22. seq. probat non esse alium Deum praeter creatorem; quia si fuisset, se manifestasset agens secundum suam naturam, h. e. bona efficiens, impediens mala alterius; secus non esset *natura* bonus, ideoque neque ab aeterno bonus. Ergo ne censuit Tertullianus Deum bonum necessario agere ad extra? Scilicet advertendum est 1) quod non est opus ut omnia argumenta, quibus aliqua doctrina impugnatur, sint ex se ipsis demonstrativa. 2) Agebatur de duobus Diis Marcionis, sibi ipsis oppositis, quos proinde supponendum est sibi necessario adversari, ut si alter in notitiam sui creaturas quae existunt alliciat per opera ad extra, idem alter operari debeat ut a cultu alterius retrahat homines sibi quae subiciat. Facta scilicet hypothese existentiae hominum quos Deus alter produxit, cum et alter Deus quem bonum dicebat Marcion colendus sit, et veli certe coli cum alteri Deo adversetur necessario, nequeat autem coli nisi cognoscatur, nequeat autem cognosci nisi per opera ad extra, necesse fuit hunc alterum Deum creare. In hac ergo hypothese bene procedit argumentum Tertulliani, quod et penes alios in simili disputatione occurrit.

IX. Doctrinam Patrum et Scripturarum ratio certissime persua-

det. Nam sive spectetur obiectum volitum, quod est mundus, hoc nullatenus est Deo necessarium: sive spectetur motivum volendi, quod et ipsa bonitas divina, hoc rursus nullam necessitatem infert divinae voluntati. Etenim indoles divinae bonitatis est quidem talis ut possit se ad extra diffundere producendo res quae similitudinem eius referant; verum actualis diffusio ad extra non est ei necessaria, quia bonitas perfectissima manet etiam sine hac diffusione; nihil enim per eandem in se ipsa acquirit. Quare ita est conveniens Deo se ad extra communicare, ut non sit inconveniens se non communicare, nisi supposito libero decreto voluntatis: quemadmodum esset ei conveniens pluribus aliis mundis se communicare, eos creando, ita tamen ut nulla sit inconvenientia quod se eis non communicet. Nimirum convenientia haec se communicandi ad extra componenda est in Deo cum totali independentia a creaturis, quam exigit divina natura. Haec enim convenientia non in eo est posita quod aliqua perfectio accedat Deo, si se aliis communicet, sed in eo tantum est posita 1) quod cum natura bonitatis per se spectatae, praecisione facta ab aliis attributis, magis cohaeret communicatio sui quam non communicatio, se enim communicare convenit Deo immediate prout est bonus: non se communicare convenit cum eiusdem plena sufficientia et independentia. In eo est posita 2) quod digna maxime est divina bonitas ut cognoscatur, ametur, laudetur. Cum ergo Patres creationem et communicationem bonorum ex eo repetunt quod Deus *non est invidus*, quemadmodum et Plato locutus est (quo argumento proinde velut ad hominem potissimum utuntur in quaestione quae cum gentilibus habeatur), ita sunt intelligendi, ut divina libertas, quae iisdem Patribus certa erat, maneat in tuto. « Bonus, ait Athanasius (Orat. contra Gentes), et plusquam bonus est natura (Deus), ac quia bonus, nemini unquam invidet; liber est enim bonus ab invidentia. Et quia liber, ideo nulli suum esse invidet, sed omnia esse et existere concupiscit. » An omnes creaturas possibiles Deus creavit? Nequaquam. *Liber ergo ab invidentia* tantumdem est ac non abhorrens a bono creaturarum, seu propensus ad benefaciendum; quae tamen propensio nullam necessitatem imponit, supponitque decretum determinati ordinis rerum creandi: secus non ea tantum quae sunt creasset Deus, sed et plurima alia, ne erga ea invidens videretur. Formula est ergo qua plus exprimitur quam dicitur et res eo redit: Deus creavit, utique libere, quia bonus est.

In idem redit quod Augustinus ait Lib. IV. de Genesi ad litt. c. 16. « Bona facere si (Deus) non posset, nulla esset potentia; qui autem posset, et non vellet, magna esset invidentia. » Nam haec invidentia accipi non potest, nisi pro ea voluntate quae bonum al-

terius non vult, carente tamen omni turpitudine vitii; Deus enim nulli tenetur velle bonum; nullum quodammodo esset divinae voluntatis, si Deus nollet bona alia se. Innuit autem Augustinus hanc voluntatem, quae bonum aliorum excludit, non esse adserendam Deo non quidem quia repugnet Deo, aut Deum dedecet, sed quia, spectata divina bonitate, magis Deo convenit bona aliis velle quam non. Quare argumentum est tantum probabile ut notavit S. Bonaventura in I. D. XLIII, a. 4. Verum difficultas est quia hoc eodem argumento est usus Augustinus ut demonstraret Deum genuisse sibi filium aequalem: « si enim non potuit, infirmus, si noluit, invidus invenitur (L. III ad Maximinum c. A) », et tamen necessaria fuit generatio Verbi. At argumentatur Augustinus contra eos qui liberam Verbi generationem volebant, et praeterea agit de re quae secundum rectam rationem est necessaria Deo. Ita quoque arguit Cyrillus Alex. in Thesauris L. II.

Audiendi porro non sunt qui aiunt realem mundum postulari ab interiori vita Dei, quatenus cognitio Dei obiectum reale requirat, et quatenus affirmatio Dei ut ego exigit affirmationem mundi ut non ego. Nam 1) obiectum reale divinae cognitionis illudque necessarium est Deus ipse. 2) Ut cognitio sit, necesse non est ut obiectum eius sit reale, unde omnes essentiae rerum possibilem obiectum sunt divinae cognitionis. 3) Ut quis se affirmet esse, nequaquam necesse est ut is se comparet cum aliis, et affirmet se esse distinctum ab aliis, sive alia non esse ipsum; sed satis est quod suam individuum entitatem cognoscat, quod aequae fit sive alia sint, sive non sint: neque enim entitas propria per alia constituitur, aut cognoscenda est.

Thesis VI.

Deus unus creavit; isque unus creare potest.

I. Quaestio est an vis creativa propria sit Dei, ita ut nulli creaturae sive ex existentibus sive ex possibilibus tanquam causis principalibus aut saltem instrumentalibus, quoad aliquas res creandas etsi non omnes, ea competere possit? Nam quod nulla creatura esse queat quae valeat omnia possiblem creare facile omnes concedunt, nimis enim est evidens.

Causa principalis nominatur tum respectu alicuius effectus tum respectu alterius causae, quae cum ipsa et sub ipsa agit vocaturque causa instrumentalis. Hic vero respectus non est simpliciter necessarius ut causa aliqua sit principalis; etsi enim desit concursus instrumentalium causae, altera esse potest, imo multo magis, causa prin-

cipalis. Sermo nunc est de causa principali efficiente physica pariterque de causa instrumentali efficiente physica. Quoniam id, quod est causa principalis, non est per se tale quoad omnes effectus, sed quoad aliquos determinatos, cum istis comparanda ipsa est quando affirmatur esse causa principalis. Iam vero notio causae principalis huc redit ut illud quoad aliquem effectum dicatur causa principalis, quod virtute suae formae determinare potest existentiam illius effectus, sive cum alia causa sibi subordinata agat, sive secus. Causa autem instrumentalis pro aliquo effectu ea est quae ad productionem occurrit virtute suae naturae, sed nota et applicata ad agendum ab alio, quod ita ut vi suae naturae non determinet existentiam perfectionis propriae illius effectus, sed aliquid aliud minus respondens virtuti suae: illa vero perfectio determinatur ab eo quod ipsam movet. Sic e. g. artifex propter artem quam in mente gerit, et potestatem quam habet movendi corpora, eorumque motus diversimode temperandi, potest determinare existentiam alicuius operis, puta *vasis*: ignis vero, qui adhibeatur, potest quidem vi suae formae determinare combustionem, vel liquefactionem, vel aliquid huiusmodi, erga quos effectus idcirco ipse est causa principalis: sed nequit determinare existentiam illius operis artificialis, ad quod solum concurrat aliquid minus vi suae naturae efficiendo. Porro vis causae principalis potest esse *a se* et *independens* ut in causa prima, vel *ab alio* et *dependens* et *ab eo conservata*, ut in causis secundis: et de hac modo agimus.

II. Quoniam theologos agimus, expedienda est primum quaestio et probanda thesis argumentis theologiceis. Et primo quidem statuumus factum, quod testificatione probatur. Si consulamus Scripturas, eae 1) nulli alii quam uni Deo adserunt creationis opus; 2) atque ita ei adserunt ut alteram quavis causam excludant. Isaiae XLV. 12: Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego: manus meae tetenderunt caelos et omni militiae eorum mandavi. Porro verba haec *Ego feci, creavi ego* nullum aptum sensum funderent, si alii quoque praeter ipsum fecissent: vult enim Deus significare quis ipse sit et cur unus honorem et cultum mereatur. Praeterea formulis exclusivis adseritur creatio Deo ihid. XLIV, 24: Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos *solus*, stabiliens terram, et *nullus mecum*: quemadmodum et Iob IX, 8. *qui extendit caelos solus*. Apud Isaiaem vero XL, 26, et Ieremiam X, 10 comparans veluti se Deus cum ceteris, se ipsum omnibus praefert eo quod nemo creavit. Levate in caelum oculos vestros et videte qui creavit haec (ait penes Isaiaem). Numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terrae. Apud Ieremiam vero: Domi-

nus (יהוה) autem Deus verus est, ipse Deus vivens et rex sempiternus. Sic ergo dicetis: Dii qui caelos et terram non fecerunt, pereant de terra et de his quae sub caelo sunt. Idcirco canit Psaltes XCV, 3. Omnes Dii gentium daemonia: Dominus autem caelos fecit. Creatio ergo caeli et terrae exhibetur ut character veri Dei, Deus autem verus unus est, ergo unus quoque creator.

Idem testantur Patres qui haereticis connumerarunt eos qui alium praeter Deum, inferiorem Deo conditorem mundi introducerent. Systema enim impium et absurdum gnosticorum veterum conflatum ex philosophia graeca, mythologia, iudaismo, et quibusdam christianis ideis in alienum sensum detortis, inter cetera hoc quoque praecipuum caput doctrinae continebat: supremum Deum, a quo processerunt alii inferiores, quos tum genios, tum Angelos etiam, ac praecipue *κλιονα*; appellabant, non fuisse mundi conditorem, sed mundum effectum esse ab uno ex inferioribus illis, quem *δημιουργον* vocabant, mundumque ab eo factum esse ex quadam informi turpique materia. Porro hanc perversissimam doctrinam distinguentem inter Deum summum, atque creatorem exagitarunt, et confutarunt Patres priorum seculorum, inter quos praecipui Irenaeus adv. haereses, et Tertullianus adv. Marcionem: confutatur et Epiphanius haeres. 23. et 27, atque Theodoretus haeretic. fabul. L. I. in primis haeresibus.

Doctrinam universae catholicae traditionis Concilium Lateranense IV authentico suo testimonio confirmavit. « Credimus quod unus est verus Deus... unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium. »

Ratio id eateus persuadere potest quatenus evincit solum Deum posse creare.

III. Quaestio ergo deinceps est an vis creativa sit ita propria Dei ut non possit ullo modo competere creaturis ratione suae naturae, licet dependenter a Deo (qui naturam creavit et conservat). Et quaestio est primum an possit ei competere ut causae principali quoad aliquos effectus, ut diximus.

Iam vero in Traditione catholica negatio huius potestatis manifestissime continetur. Sane PP. non solum negant Angelum aut aliam quamvis causam praeter unicum Deum creasse aliquid, sed praeterea affirmant 1) speciatim quoad Angelos, eos non potuisse aut non posse creare: 2) generatim quoad quamlibet creaturam, eam non posse creare: 3) rationem afferentes quia creatura est, quia nequit esse eiusdem perfectionis participes ac est Deus. Damascenus L. II. c. 3. « Quicumque dicunt Angelos (quos ut supremas substantias exhibet) conditores esse qualiscumque substantiae, ipsi os diaboli sunt, qui est eorum pater. Creaturae enim, cum sint, non sunt conditores.»

« Basilius cont. Eunom. L. IV. c. 3. « Si Filius creatura Dei est, omnis autem creatura est creatoris serva; Angelus Dei servus est non filius... Potestas eadem non communis est facturae cum factore; nihil ergo commune Patri cum Filio, ne creatio quidem, si factura non genitura est Filius. » Athanasius Orat. 3. cont. Arianos n. 14. « Idem autem (nempe quod Pater facit) de factis et creatis rebus nequit dici. Neque enim Patre aliquid faciente, id etiam Angelus aliquis aut alia res creata efficit, cum nihil horum causa sit efficiens, sed omnes omnino sint res factae, ab eo qui solus est separatae, quae et aliam ab ipso naturam habent, et opera sunt, neque ea quae Deus efficit, possunt efficere. » Cyrill. Alex. cont. Iulianum L. II. « Repugnat maxime divinae gloriae putare quod aliis insit facultas procreandi, et in lucem edendi quae non erant (confutat dogma platonium de creatione per Deos minores a summo Deo conditos). Neque enim fas est dicere quae singularia et propria sunt divinae et ineffabilis naturae (nota eum loqui de creatione rerum inferiorum et sublunarium quam Plato Diis minoribus tribuebat) ea posse naturaliter quibusdam inesse rebus a se conditis. Sed hoc et praesertim solique competit et ad summam eius gloriam pertinet: cum creaturae praeclusus sit aditus ad ea quae supremae substantiae soli et proprie competunt, cuiusmodi est creandi vis et in lucem edendi quae aliquando non erant. » Idem in Thes. Assert. 15, negat Filium creare posse, si est creatura, ut Ariani volunt. Theodoretus haeret. fabul. L. V. c. 8. « Est autem hoc quoque humanarum actionum imbecillitatis argumentum: quoniam enim ars omnis apud homines subiecta materia indiget... existimarunt stolidi Deum quoque sine materia creare non posse; nec intellexerunt quantum Dei et hominum sit discrimen, et quod fieri non possit ut omnia habeat imago quae archetypus habet, et quod homo quidem velut imago ex iis quae exstant fabricatur, Deus autem ex iis quae non sunt. » Aug. De Gen. ad lit. L. IX. c. 15. « Angeli nullam omnino possunt creare creaturam, solus enim unus cunctislibet naturae seu magnae seu minimae creator est Deus... Quaeritur quomodo soporatus est Adam, costaque eius sine ullo doloris sensu e corporis compage detracta sit. Haec enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri; formare autem vel aedificare costam, ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi Deus a quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri quod in illius costae successit locum, ab Angelis factum esse crediderim... Creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec se ipsum. Voluntas vero Angelica obedienter Deo subiecta eiusque executiva iussione, naturalibus motibus de rebus subiectis tanquam materiam ministrare, ut secundum illas

principales in Verbo Dei non creatas, vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi vel medendi potest. »

Quibus in testimoniis advertendum 1) est Patres non negare Angelis aut cuius creaturae vim eam creandi tantum quae sit independens a Deo ut causa prima conferente et conservante vim, ac cum ea concurrente; nam in hac hypothesis ne dum vis creandi sed vis quilibet efficiendi esset neganda creaturis: at Patres cum negant fieri posse ut creatura aliqua creet, tamen concedunt posse eam alios effectus minoris momenti producere. Quod praeterea Augustinus negat, est potestatem habere Angelos constituendi leges eas physicas, quibus ordo naturae regitur; has vult a Deo solo pendere, secundum autem eas posse Angelos plura efficere. Ergo vis creandi etiam dependens a Deo eo modo quo aliae vires naturales dependunt, repugnat iuxta PP. creaturae.

Advertendum est 2) negare PP. id fieri posse, quin ulla vel remota adsignificatio habeatur ad potentiam eam quae dicitur ordinaria; imo hac limitatione prorsus exclusa. Negant enim id competere posse cuius creaturae quia creatura est, quia est imago non archetypus, quia creare est singulare et proprium divinae naturae, et ad summam eius gloriam pertinet, quia non potest creatura creare seipsam; atqui haec non tantum in potestate ordinaria et naturali, sed et in extraordinaria et quae per gratiam fingatur concessa, valent. Et re quidem vera dogma Platonis, quod Cyrillus impugnat, erat Deos minores *ex liberalitate Dei* constitutos fuisse conditores mundi inferioris.

Advertendum 3) id PP. negare non solum de creaturis quae sunt, sed etiam de omnibus possibilibus. Etenim tum indefinite creaturam quamvis ab hac potestate excludunt, tum soli Deo eam competere affirmant, tum ratio, qua id confirmant, omnes posibles creaturas complectitur, tum negant speciatim *Angelos* posse creare. Quia in re notandum est quod natura Angelica et secundum rei veritatem, et prout a Patribus considerabatur, est nobilissimum et supremum genus inter res creabiles. Iam vero qui negat Angelos et quemlibet ex Angelis, spectatis etiam tantummodo iis qui existunt, posse creare, is simul affirmat nullam etiam ex possibilibus creaturis posse creare. Fac enim dubites an aliqua creatura possit esse adeo perfecta ut creare valeat: tum ut neges Angelos posse creare, debes nosse et certum gradum perfectionis quo continentur aut omnes aut saltem supremis inter Angelos, et simul debes nosse quinam gradus perfectionis requiratur ad creandum vel saltem debes nosse eos gradus qui non sunt sufficientes ad creandum, ut com-

paratione facta negare possis Angelum quemvis creare posse. Si autem haec ignores, et res in incerto sit posita an aliqua creatura possit creare, nequis rationaliter negare Angelum quemvis creare posse. Si autem certo teneas nullam creaturam posse creare, tum etiamsi ea quae diximus igaures, poteris, atque tum solummodo poteris affirmare quod nullus Angelus creare possit. Iam vero quis cognoscit certum gradum perfectionis Angelorum, aut supremi inter Angelos? Quis determinare potest eos omnes gradus qui ad creandum non forent sufficientes? An haec cognita erant Patribus? minime. Itaque si negant Angelos creare posse, id eatenus negant quatenus persuasum ipsis est nullam vel ex possibilibus creaturis posse creare. Ergo. Idem argumentum institui potest in eo quod negent Filium creare posse, si sit creatura, quam excellentissimam esse Arianis placebat.

IV. Si Scripturas consulamus constat characterem proprium Dei divinique Verbi exhiberi creationem; liquet ex locis iam citatis ac Ioan. 1. 4.: Hebr. 1. 4, quo character asserto demonstratur excellentia Dei prae ceteris et dignitas ut solus adoretur. Atqui talis affirmatio facti creationis Deo soli competentis continet quoque implicite affirmationem quod Deus solus creare possit, ita ut nullis creaturis sit haec potestas naturalis. Nam creatio est ratio excellentiae divinae divinique cultus vel quia simpliciter Deus solus actu creavit, vel quia etsi aliae naturae creare possint, habent tamen ab eo hanc potestatem et ipse plura creare potest, vel quia ita creavit ut ipse solus possit quidquam creare. Atqui solum factum creationis non est ratio sufficiens praecellentiae; quia hanc potestate metimur non solo facto: nec est ratio sufficiens adorationis soli Deo debitae; quia si aliae naturae creare possunt, etsi non creaverint, possunt annihilare, quae ratio sufficiens est ut eis cultus praestetur tum ratione excellentiae, tum ne noceant. Neque ratio praecellentiae divinae in eo dicenda est a Deo statui quod etsi aliae naturae creare possint, ipse tamen det eis hanc virtutem et ipse plura creare possit: non quidem hoc alterum; quia satis constat, ut postea probabimus, eum qui potest creare posse hoc ipso omnia creare: neque primum; nam licet verissimum sit id constituere discrimen maximum Deum inter et alios creatores, tamen verum quoque est hoc discrimen in locis Scripturae non urgeri a Deo. Non enim Deus se praefert ceteris sibi quae vindicat adorationem eo quod sit ens a se, et quidquid habet a se habeat, sed adducta in medium creatione caeli et terrae demonstrat se esse supremum ens ab omnibus adorandum. Oportet ergo ut ex ipsa creatione formaliter spectata constet excellentia Dei supra omnes. Id autem constare nequit nisi soli Deo non solum actus sed et potestas creandi competat, ut ex dictis liquet: ergo

restat quod haec sit adaequata ratio affirmata a Deo suae excellentiae. Et sane quamvis potentia transmutandi materiam competat Deo a se et eminentiori modo ac artificibus, an putabimus Deum, ut suam excellentiam prae ceteris demonstret, provocaturum simpliciter ad potestatem calefaciendi, sculptendi, combinationesque chemicas efficiendi? Scilicet ut divina excellentia demonstretur, cum ex operibus colligitur, ad id provocatur quod ipse solus facere potest.

Dices in Scripturis de creaturis existentibus non de omnibus sermonem esse. Verum si consideres quod potestas creandi quae specie differt a ceteris potestatibus naturalibus, si alicui creaturae competit naturaliter, debet ei competere ratione suae speciei, propter quam proinde ab aliis differt non solum gradu, sed specie; et si consideres species omnes supremae existere rerum ita ut ex iis de quibus suspicari liceret an creare valeant, non sint possibiles nisi diversi perfectioresque gradus; satis constat quod si creatura existens nulla creare potest, nec ulla possibilis potest.

V. Nunc eadem veritas est adserenda, si fieri potest, ipsa ratione. Argumentum S. Thomae (I. p. q. XLV, a. 3) huc redit. Causa universalissima quoad efficaciam nequit esse nisi una, nempe Deus: ratio evidens est quia nulla causa praeter Deum potest habere vim producendi omnia possibilia, ut notum est, et omnes concedunt. Atqui causa producens ens ut ens: seu ens ex nihilo, sive unum sive plura producat, est causa universalissima: ergo ea non potest esse nisi Deus. Prob. haec minor. Sane qui potest producere ens ut ens, potest hoc ipso producere quidquid habet rationem entis; atqui qui id potest, est causa universalissima: ergo. Omnis difficultas est in maiori huius syllogismi, cuius veritatem haec S. Doctor supposuit, et qua constituta reicitur exceptio adversariorum; eo quod non amplius relinquatur locus distinctioni inter virtutem quae omnia et virtutem quae aliqua tantum creare possit. Demonstratio autem huius maioris e sententia Thomae haec esse videtur: quia scilicet facultas quaevis in ea omnia materialia obiecta se potest extendere quae sub suo formali obiecto continentur. Atqui formale obiectum potestatis creativae est ens ut ens, est ens ex nihilo producibile (Th. 1): quae causa ergo in id ferri potest, potest versari circa ea omnia, quae sunt ex nihilo producibilia; ideoque potest omnia possibilia creare: ergo.

Et sane si qua causa fingatur esse quae aliqua tantum valeat creare, obiectum formale vis suae erit ea specialis perfectio quae propria est eorum quae producuntur, quaeque iis productis producitur: inde enim petenda est limitatio cur ea possit tantum, non alia producere. Atqui haec specialis perfectio, quaecumque sit, non est

ens ut ens producibile; causa vero, quae non attingit ens producibile ut ens, nequit dici et esse creans: ergo contradictoria est positio causae quae aliqua tantum valeat creare.

Et re quidem vera nulla ratio sufficiens afferri potest cur causa potens aliqua creare non possit omnia, imo ratio sufficiens adest, cur si aliqua possit, possit et omnia. Etenim haec afferret ratio sufficiens, improprio scilicet inter causam et aliquid effectum creabilem, quia hic est perfectior, puta, quam causa quae cum creata sit habet finitam perfectionem. Verum comparatio instituenda est non inter naturam causae et effectus, cum adhuc ignoretur natura causae, et disputetur sit ne finita an infinita tantum illa quae potest creare; sed instituenda est inter vim creatricem quae asseritur, et effectum creabilem. Atqui ita instituta comparatione redit argumentum Thomae: vis creatrix ea est quae producit ens ut ens, non ens tale aut tale, sed ens prout est ens; atqui haec ratio formalis in omnibus creabilibus reperitur: ergo.

Verum addimus exstare rationem sufficientem cur quae causa potest aliqua creare possit omnia. Nam huiusmodi causa agit nutu voluntatis, ideoque habet efficaciam infinitam; unde sequitur ipsam esse causam universalissimam h. e. Deum. Quod autem ipsa habeat efficaciam infinitam ex eo probatur quod agens nutu voluntatis potest ex se simul producere substantias omnes alicuius generis puta plantas, quia simul potest velle omnes, etsi eae propter aliam rationem nequeant esse simul in actu. Iam vero multitudo omnium plantarum possibilem est sine fine: quaelibet ex eis est aliqua perfectio, maiorque perfectio realis est in duabus quam in una et ita porro; unde perfectio omnium plantarum, si actu simul essent, foret perfectio maior perfectione simpliciter finita, eo quod esset perfectio actu resultans ex gradibus perfectionum superadditis sine fine: esset proinde perfectio infinita, quia quod actu est, vel est actu finitum vel infinitum. Atqui vis creans cum ex se valeat omnia alicuius generis producere aequivaleat actu perfectioni quae semper crescere potest, ideoque actu est infinita: ergo.

VI. Restat alia quaestio de causa instrumentali physica, quam breviter expeditimus. Et quidem ab ipso conceptu creationis, quem ratio et Scripturae exhibent, excluditur possibilitas concursus huius causae. Deus enim dixit et facta sunt; existientia scilicet rerum subsecuta est per se nutum divinae voluntatis, qui actus immanens est: at cum huiusmodi actu nullas actus alterius causae coniungi potest. Et sane causa instrumentalis proprium actum habere debet quo inserviat principali. Iam vero hic actus vel habet pro termino productionem rei ex nihilo, vel aliquid ad eam disponens, et hoc prout

ea causa attingit vel causam principalem creantem, vel subiectum creabile. Atqui nequit habere pro termino actus sui proprii productionem ex nihilo, sic enim foret causa principalis: neque potest attingere Deum creantem ipsum videlicet modificando, ut patet: neque potest attingere subiectum creabile, quia hoc nondum est: ergo.

Thesis VII.

Creator est Deus Pater, Filius et Spiritus S. qui creant prout sunt unum, illa nempe una scientia quae dirigit et voluntas quae est efficax ad extra. Processiones proinde personarum necessariae non sunt, ut Deus creet, nisi quatenus necesse est ut Deus sit illa scientia et voluntas, quae per se exigunt processiones duas immanentes, et proinde tres personas.

I. Quaecumque Deo tribuuntur, nec tamen relationem originis exprimunt, ea de Deo dicuntur absolute spectato prout est essentia vel natura; porro creatio Deo competit, nec tamen relationem originis dicit, est enim productio rerum ad extra: ergo. At quae praedicantur de Deo ut essentia est, ea sunt communia ex aequo tribus personis quemadmodum natura. Ergo.

Sane Scripturae vindicant creationem nominatim *Deo Patri* Luc. X, 21. Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae. Act. IV. 24. 49. Domine, tu es qui fecisti caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt; qui Spiritu S. per os patris nostri David pueri tui dixisti... convenient enim vere adversum sanctum puerum tuum Iesum. 1. Cor. 8. 6.

Deo Filio. Ioan. 1. 3. Colos. 1. 15. seq. Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.

Deo Spiritui. Psal. XXXII. 6. Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Psal. CIII. 30. Iob. XXVI, 13.

Et re quidem vera principium creationis est scientia et voluntas; atqui haec sunt proprietates absolutae, communes ex aequo tribus: ergo creat Pater, Filius et Spiritus S.

Creant ergo personae prout unum sunt, quia quod commune et absolutum est, est unum, essentia nempe divina. Quia vero hoc unum est principium creaturarum eo quod est formaliter infinita scientia dirigens et infinita voluntas efficax, atque sub his formalibus rationibus a nobis concipitur ut creans, ideo dicimus quod creant

Pater, Filius et Spiritus S. prout sunt illa una scientia dirigens et voluntas efficax, quae sunt principium rerum.

Argumentum S. Thomae (q. XLV. a. 6.) hoc est. Quandoquidem omne agens agit sibi simile, necesse est ut principium actionis in agente illud esse dicatur, cui videtur effectus similis esse. Principium actionis haec non intelligitur a S. Thoma, saltem formaliter, immediata vis agendi, sed id quod est ratio in agente, cur aliquid producere possit. Ita ignis generat ignem, ut ipse ait, non tantum calorem aliquem, etsi, ut putat S. Doctor, principium immediatum actionis sit tantum calor distinctus ab igne. Iam vero effectus creationis, prout creatio est, est esse, quod est tota realitas et essentia substantiae; igitur *secundum esse* effectus creationis assimilatur Deo. Quod ergo in Deo est principium creationis est *esse Dei*, sive essentia, substantia divina; haec porro est una in tribus; ergo tribus ex aequo competit potestas creandi; atque etiam creatio, cum esse et agere in Deo sint idem.

Itaque distincto principio creationis in principium *quod* et principium *quo*; principium *quod* creans sunt tres personae, quia operari est subsistentis sive personae: in Deo autem triplex est subsistentia, nullaque alia. Principium vero *quo* est natura, sive scientia et voluntas.

Unus proinde est creans, si haec vox substantive sumatur: sunt tres creantes, si haec vox adiective accipiat (1. p. q. XXXIX. a. 3). Unaquaeque persona immediate creat, quia unicuique competit ex toto is actus efficax, ad quem immediato effectus consequitur.

II. Quapropter particula *ex* *ex*, *per* *dux*, in *in* per quas designatur in Scripturis operatio ad extra divinarum personarum, nequeunt indicare diversam activitatem, seu causalitatem, quae a singulis personis exeratur in opere creationis, licet adsignificare possint diversum modum quo eis eadem activitas competit.

Sane contra eos, qui contenderent aliam et aliam causalitatem per eas particulas designari, uti possumus ea argumentatione, quae prostat penes s. Basilium Lib. De Spiritu S. c. 5. quae argumentatio huc redit. Spectato usu loquendi saltem biblico, manifestum est omnes et singulas has particulas posse designare eandem activitatem, et reapse eam designare; nam omnes de una eademque persona efficiente aliquid ad extra promiscue usurpantur. Iam vero si diversa activitas necessario per eas significaretur, non possent omnes de una eademque persona usurpari (supponendum est enim in hypothesis quae impugnat, quod singulis personis sit propria eademque una specialis operatio), quin sponte confusio et error induceretur. Si enim ex. g. particula *per* significat activitatem dependentem se-

cus ac particula *ex* quae independentem activitatem significet, et si Patri e. g. competit activitas independens, nequit ad designandam activitatem Patris adhiberi particula *per* quin simul affirmetur Patrem esse in agendo dependentem, quod tamen negatur cum de eo particula *ex* usurpatur. Ergo si diversas activitates hae particulae necessario significarent, non possent omnes de una eademque persona usurpari. Atqui liquet eas omnes ita adhiberi. Nam de Patre praeter particulam *ex*, particulam *per* quoque adhiberi ostendit 1. Cor. I. 9. Fidelis Deus *per* quem vocati estis in societatem Filii eius Jesu Christi, Gal. I. 4. Porro de Filio praeter particulam *per* tum particula *ex*, ut notat S. Basilii ibidem, adhibetur Ephes. IV, 15. Crescamus in illo *per* omnia qui est caput *Christus*, *ex* quo totum corpus compactum et connexum est; tum particula *in*, ut liquet ex testimonio Colos. I. 15. seq. superius recitato. De Spiritu S. vero particula *in* (1) certe adhibetur, sed et praeterea particula *per* 1. Cor. XII. 8. Alii quidem *per Spiritum* datur sermo sapientiae... alteri fides *in eodem Spiritu* etc. Hebr. IX, 14. atque particula *ex* Ioan. III. 6. Quod natum est *ex Spiritu* spiritus est. Matth. I. 20. Quod enim in ea natum est, *de Spiritu Sancto* est. Itaque, ut ex his testimoniis constat, omnes hae particulae de Filio et de Spiritu S. usurpantur. Vera est ergo animadversio S. Basilii, certumque est nihil ex illis colligi posse pro diversa causalitate cuiuscumque personae in opere creationis.

Ceterum ex appropriationis lege fit, ut speciatim Patri particula *ex*, Filio particula *per*, Spiritui S. particula *in* tribuatur, cum praesertim connumerantur simul, dicantur creare Deus Pater *per* Filium in Spiritu S., et ex ipso et *per* ipsum et in ipso esse omnia; non ut significetur differens causalitas vel efficacia, aut differens modus causandi, sed ut significetur habitu personarum ad invicem et diversus modus quo singulae obtinent vim creativam, quae eadem est ac natura divina. Pater enim a se habet, Filius *per* generationem a Patre, Spiritus *per* spirationem ab utroque. Sed de appropriatione sermo in Tract. de Trinit. locum proprie habet.

III. Postquam S. Thomas (l. c.) demonstravit quod creare non est proprium alicui personae, sed commune toti Trinitati, subdit, «sed tamen divinae personae secundum rationem suae processionis habent causalitatem respectu creationis rerum,» quod et probat. Quaerunt itaque Theologi: utrum ad creationis causalitatem requirantur processionem personales, seu utrum personae Verbi et Spiritus S. *per*

(1) Particula \square , cui respondet, causae efficientis tum instrumentalis tum principalis quoque significationem subinde habet. Cf. Lexica.

se postulentur, ut Pater operetur, ita ut sine illis non possit operari: qui tamen sine illis nec esset Pater, sed solum Deus. Ruiz De Trinitate D. III. sect. I^a. diversas sententias sic exponit. «Duae sunt extremae sententiae, tertia vero mediam viam tenens, attingit veritatis scopum. Prima sententia fuit Henrici de Gandavo Quodl. VI. q. 2. asserentis non solum processionem divinarum personarum esse causam productionis creaturarum, sine qua non producerentur; sed etiam intellectionem Dei mere essentialem non esse satis ad producendas creaturas, quoniam, ut ipse ait, est notitia simplex et tantum speculativa. At vero notitia producta *per* actum dicendi est declarativa, manifestativa, dispositiva, ordinativa ad opus, ac proinde practica. Haec autem notitia est Verbum. Eodem modo servata proportionem ratiocinatur de duplici amore, altero simplici et altero rationali et producto, qui sit dispositivus et ordinativus rerum producerandarum et practicus. Notat autem praedictam intellectionem productam et practicam, simul cum praedicto amore producto esse principium formale producendi creaturas.» Hanc tamen sententiam revocavit Henricus in Summa art. 54. q. 6. et art. 60. q. 6. Pergit Ruiz: «Secunda sententia simpliciter et absolute docet pluralitatem personarum non esse *per* se requisitam ad productionem creaturarum, sed potius eodem modo potuisse Patrem solum absque Filio et Spiritu S. creaturas producere, sicut potuisset, si Deus esset unica persona tantum, quemadmodum arbitrantur Ethnici. Necessitas itaque concurrendi tres personas oritur tantum ex inseparabili concomitantia personarum, non ex quidditate causalitatis quae postulet distinctas personas.» Tandem tertiam sect. 2. ita proponit. «Vera sententia est personam Verbi et personam Spiritus S. *per* se requisitas esse ut Pater operetur, ita ut sine illis non possit operari; eo quod 1^a) Pater sine Verbo non possit esse loquens, non possit dicere vel mandare ut res fiant, imo nec ipsa intellectio possit existere sine suo termino intrinseco: atque pariter 2^a) Deus spirator non possit esse complete atque perfecte donator respectu creaturarum nisi producendo Spiritum S. qui est personaliter donum: imo nec amor ipse possit existere, si careat intrinseco termino, qui est Spiritus S.» Ait autem sect. 8. requiri Filium et Spiritum S. veluti *conditiones sine quibus non Pater creat*. Hanc sententiam tribuit S. Thomae heic collatis pluribus aliis locis.

IV. Iam vero in hac quaestione haec ex ordine certissima sunt. 1) Neque persona Verbi neque persona Spiritus S. possunt esse id quod Deum Patrem constituit formaliter potentem creare sive creatum; ratio est evidens, quia secus Deus Pater non esset *per* se omnipotens, nec proinde Deus; cum istae personae sint ab eo distinctae.

2) Non est in Deo ars aut scientia practica *notionalis* quae sit nempe propria et personalis quidditas Verbi, non communis aliis personis; nec est ullus amor practicus et applicativus ad opus, qui sit *notionalis*, proprius nimirum Spiritus Sancti, non communis tribus personis. Ratio est, quia, ut probavimus, efficientia creativa, quae non est nisi scientia et voluntas efficax, ad quam immediate sequitur effectus, est proprietas essentialis tribus personis communis. Haec conveniunt inter omnes theologos; atque haec satis sunt ad refutandam sententiam, quam olim defendit Henricus.

Rursus haec certa sunt. 3) Nulla potest esse operatio divinae naturae ad extra, cuius *principium quod* non sit quaevis persona subsistens in illa natura.

4) Causalitas creationis consistit in actu scientiae et voluntatis.

5) Actus intelligentiae divinae requirit necessario terminum intrinsecum, qui a Patre dicente procedit, et actus voluntatis pariter requirit necessario terminum intrinsecum, qui a Patre Filioque se amantibus procedit. Haec est necessitas divinae vitae, quae sine his terminis non ea esset quae esse debet, ideoque Deus non esset. Id quidem sola fide constat: sed etsi ratio id non attingat; non est tamen consequens id minus esse necessarium, vereque posse esse Deum qui sit una tantum persona.

6) Ut actus scientiae et voluntatis creet, debet esse talis, qualem eum exigit natura Entis infiniti, quia solum ens infinitum potest creare; porro natura entis infiniti, ut docet Fides, postulat ut scientia et voluntas tales sint, ut utraque habeat terminum suum.

7) Ad constituendam personam adaequatam causam creationis non requiritur productio activa Verbi et productio Spiritus; quia ea Filius, utraque caret Spiritus S., et tamen ambo ex aequo creant ac Pater.

8) Ad constituendam personam adaequatam causam creationis requiritur ut persona creans sit ea scientia et voluntas quae habet eos terminos immanentes; ratio est, quia debet esse eadem natura eadem intelligentia et voluntas quae est Patris.

9) In divinis omnia sunt unum nisi ubi obviat relationis oppositio constituta in origine unius personae ab alia.

Itaque si quaeratur an processiones personarum requirantur ut Pater creet, quaestio haec duplicem sensum habere potest. a) Nimirum utrum personae procedentes prout distinctae sunt, sive secundum suas proprietates personales constituent principium adaequatam creationis, vel conferant ad eius constitutionem: atque hoc sensu quaestione accepta, responsio est negans propter principia posita sub n. 4. et 9. In hac enim hypothese personae creantes non essent unum

principium creationis, nullaque persona esset adaequatam principium, quia quod proprium est unius non est alteri commune. Oportet autem ut personae prout creant sint unum, quia quoad hoc nulla occurrit relationis oppositio constituta in origine unius personae ab alia. b) Alter sensus esse potest, nimirum utrum si processiones hae non existerent, haberet Pater vim creandi, cui respondendum est negative; cuius responsionis ratio patet ex antecedentibus n. 5. et 6; ideoque affirmandum est personas requiri ad causalitatem creationis, eo quod requiritur Deus, cui Trinitas est essentialis, et qui sine ea proinde non amplius esset.

Quapropter personae non requiruntur *formaliter* ad creationem, quia non secundum id, quod ipsis est proprium, constituunt principium adaequatam creationis sed hoc continetur totum eo quod est commune; requiruntur vero, ut ita dicam, *exigentia materiali* sive *subiecti*, quia requiritur illa scientia et voluntas quae hos terminos postulat, seu quia requiritur ens infinitum, Deus, qui non potest esse nisi Trinus.

Unde si fiat hypothesis quam secunda sententia facit, quod Deus esset una persona; haec quidem hypothesis est absurda, nam cum Trinitas sit necessaria enti infinito, ille non esset amplius Deus, etsi a nobis, qui naturali lumine necessitatem Trinitatis non cognoscimus, posset adhuc concipi ut Deus: verum ea hypothese data, dandum quoque esset, Deum illum esse ens infinitum, atque ideoque vi creandi potiri, secus non esset Deus.

Conclusioni nostrae non adversatur secunda sententia, quae necessitatem concurrenti tres personas ad creationem repetit ex inseparabili concomitantia earumdem; nam haec inseparabilis concomitantia aliis verbis est ea necessitas, quam diximus, ut Deus non sit, nisi sit simul Pater, Filius et Spiritus S.; ut scientia et voluntas non sit scientia et voluntas divina nisi sit utraque cum suo termino immanente. Tertia sententia quam veram dicit Ruiz, ut conferenti patet, est ipsa sententia, quam tuemur.

V. Atque ita accipienda est doctrina S. Thomae, qui ait: « Secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum *in quantum includunt essentialia attributa* quae sunt scientia et voluntas. » Ergo non ratione proprietatum, sed attributorum essentialium quae personae includunt, hae sunt causa productionis rerum. Includunt autem essentialia attributa scientiam et voluntatem eo quod sint eorumdem essentialia termini immanentes. Quare docet Thomas hos duos terminos immanentes « habere causalitatem respectu creationis rerum », habere autem « in quantum includunt essentialia attributa. » Restat ergo ut eatenus personae se-

cundum rationem suae processionis habeant causalitatem respectu creationis, quatenus requiruntur hi termini intrinseci ut scientia et voluntas sint id quod esse debent (cf. I. p. q. XXXII. a. 1.).

Porro cum Patres dicunt quod si Filius non sit, nec Pater possit esse creator, intelligendi sunt eo modo quo intelliguntur cum dicunt, quod si Filius non sit, nec Pater sit sapiens. Nempe sapientia Patris non completur ullo modo per Verbum, sed cum ab ea infinita sapientia necessario procedat Verbum ut terminus suus, si hoc deesset, ea non foret sapientia infinita, non foret sapientia Dei Patris, nec Pater esset sapiens. Eodem modo ratiocinandum est de creatione. Haec autem doctrina Patrum sententiam nostram confirmat.

Iam vero *dicere* dupliciter accipi potest, sensu latiore et pressiore. Sensu latiore *dicere* est actus cognitionis absolute spectatus: sensu pressiore est actus cognitionis cum relatione ad terminum suum qui est verbum. Secundum sensum latiore omnes personae in Trinitate *dicunt*: secundum pressiore solus Pater *dicit*. Quando autem Scripturae aiunt: Ipse dixit et facta sunt; istud *dixit*, quod de Deo, ut unus est, praedicatur, sensu latiore accipiendum est, licet et sensum pressiore adsignificare possit, quatenus scientia et voluntas quae communis sunt tribus, eae sunt ut eadem scientia prout est in Patre habeat pro termino Verbum, ut eadem voluntas prout est in Patre et Filio habeat pro termino Spiritum S. Cum vero specialim de Patre usurpatur, et dicitur quod Pater *creat dicendo* sive producendo Verbum, hoc unum significatur, quod Pater *creat* ea sapientia a qua necessario procedit tanquam terminus Verbum, quod ad Patrem ut ad principium suum refertur; non vero quod sapientia Patris compleatur intrinsece per Verbum, ita ut ex se Pater non sit perfectissime intelligens. Atqui quod per eam formulam significatur illud est quod nos quoque docemus. Ergo.

Atque his continetur quoque responsio ad argumentum petitum ex modo quo artifex operatur; est enim eadem ratio.

Thesis VIII.

In creaturis omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii; in creaturis autem rationalibus etiam per modum imaginis, quatenus in creaturis plus minus perfecte repraesentantur ea attributa per quae processionis personarum habent locum in Deo.

I. Quaestio est an sit in creaturis vestigium et imago Trinitatis. Quaestio ex eo oritur quod causa creaturarum sit Trinitas; aliqua autem similitudo intercedere debet inter effectum et causam. Proinde quaestio videri possit similis illi, quam proponit S. Doctor 1. p. q. IV. a. 3; an creatura aliqua possit esse similis Deo. Verum non nihil interest hanc inter et illam. In ea enim comparantur creaturae cum Deo absolute spectato, hic specialim Trinitas consideratur. Solutio est affirmativa, et duo distincte traduntur, quae recitavimus in Thesi. Ad quorum declarationem haec advertimus.

Cum effectus repraesentat causam, eam repraesentat prout est principium quo effectiois, non prout est principium quod eiusdem; sive naturam repraesentat, non suppositum aut personam: docet nempe cuius naturae sit causa quae operatur, non quodnam sit individuum in ea natura existens quod operatur. Ratio est quia effectus repraesentat causam secundum eam perfectionem quam ab ea accipit, repraesentat proinde perfectionem causae sibi respondentem: perfectio vero causae ad naturam sive essentiam eius spectat. Hinc viso aliquo opere artis poteris quidem conicere ipsum ab intellectu humano profectum esse; sed quis illud effecerit, et utrum unus an plures illud effecerint diiudicare non poteris.

Repraesentatio vero causae dupliciter haberi potest; per modum scilicet vestigii et per modum imaginis. Repraesentatio per vestigium dicta est a vestigio quod ab animali in pulvere imprimitur. Ea generatim sic definiiri potest: convenientia effectus cum sua causa in eo posita quod effectus in se ipso ea exhibeat ex quibus notitia illius causae necessario deducatur. Repraesentatio per imaginem dicta est ab imaginibus pictis, in quibus, si species externa consideretur, quae sola repraesentatur, similitudo vera existit cum typo. Haec repraesentatio definiiri potest: ea convenientia effectus cum causa per quam effectus exhibet in se ipso elementa etiam quibus notitia distincta causae informatur.

Cum prior repraesentatio tantummodo habet locum, effectus dicitur repraesentare solam *causalitatem* causae; cum altera adest, di-

citur repraesentare *formam* causae. Repraesentatio causalitatis eo redit ut effectus significet existentiam alicuius causae.

Quia vero fieri non potest ut cum a determinato effectu significatur existentia causae, non indicetur etiam saltem confuse aliqua nota eiusdem, hinc repraesentatio causalitatis non ita accipienda est, ut solum per eam significetur quod causa sit, sed etiam quodammodo quid causa sit. Haec repraesentatio per se est analogica.

Cum effectus ita repraesentat causam, ut proprietates specificae effectus secundum suam rationem formalem, etsi diverso modo, reperiantur in causa, tunc effectus dicitur repraesentare formam causae. Adest enim convenientiae formae sive naturae inter effectum et causam.

Iam vero repraesentatio secundum imaginem duplex distingui primum potest; nempe secundum invocationem, et secundum analogiam. Ea est, cum forma in utroque termino reperitur eodem modo; haec, cum diverso modo adest in utroque. Repraesentatio autem secundum analogiam rursus duplex distingui potest: altera per quam ope solius lumine rationis princeps analogum inveniri et concipi queat; altera per quam, momento tantummodo Fide, princeps analogum possit concipi a nobis.

II. His praestituti certum esse debet 1) quod repraesentatio Trinitatis secundum propriam et formalem rationem trium personarum nequit inesse rebus, tum quia personae non creant ut tres sunt, sed ut sunt unum; tum quia effectus naturam qua agens operatur, non personam agentem aut personas agentes significat, tum quia modus proprius quo ens infinitum existit, non potest esse formaliter in entibus finitis.

Certum proinde esse debet 2) repraesentationem Trinitatis eatenus posse inesse rebus creatis quatenus per has repraesententur plus minus ea attributa per quae processiones personarum habent locum in Deo.

III. Iam vero quaedam repraesentatio hoc pacto Trinitatis sane communis est omnibus rebus. Nam cuique rei insunt ea ex quibus in notitiam ducimur attributorum per quae processiones personarum existunt in Deo. Quaelibet enim res, prout est res creata, ducit ad notitiam causae efficientis, et quidem causae agentis per intellectum et voluntatem. Repraesentat primum seu significat quaevis res artificem concipientem opus et ordinantem illud, artificem nempe potentem, intelligentem et bonum. Repraesentat autem illum res creata prout in eius notitiam ducit, etsi in se ipsa huiusmodi characteres non exhibeat intelligentis nempe et volentis et potentis per intellectum et voluntatem operari. Est ergo repraesentatio attributorum

Dei per modum vestigiū. Iam vero haec sunt attributa per quae processiones personarum existunt in Deo: ergo.

Huiusmodi repraesentatio in creaturis solet et paulo aliter explicari, quatenus considerantur in creaturis diversae rationes per quas repraesentantur ea attributa aut opera Dei quae solent appropriari personis. Sane Augustinus de Trinit. L. VI. c. 12. docet vestigiū Trinitatis esse in unaquaque creatura, secundum quod quaevis res est *aliquid unum et aliqua specie formatur et quemdam ordinem habet*; et de Genes. ad litter. L. IV. c. 3. ponit vestigiū Trinitatis in *mensura, numero, pondere, sive modo, specie et ordine*. Quae omnia et quaecumque sic dicuntur, in idem, ut monet S. Thomas, facile reduci possunt.

IV. Repraesentatio alia perfectior competit creaturis rationalibus. Conceptus enim distinctus naturae Dei Trini continetur notione Spiritus intelligentis et volentis. Atqui iste conceptus ex iis ipsis informari potest et reapse informat, quae creaturae rationalis sunt propria, unde ea suppledit elementa huius conceptus. Praeterea, ut haec repraesentatio adhuc sit distinctior, in intelligentia invenitur verbum ex mente procedens, quo mens se ipsam apprehendit, et amor sui ipsius consequens hanc notitiam. Itaque creaturae rationales in se ipsis repraesentant attributa ea secundum quae processiones sunt in Deo, atque in se ipsis rursus quodammodo repraesentant id quod per se competit divinis personis. Proprium est enim Filii procedere ut Verbum a notitia Patris, propriumque Spiritus procedere ut amor ex Patris Filiique mutua dilectione. Haec autem repraesentatio dicitur per imaginem: ergo.

V. Verum haec repraesentatio est analogica, quae sola finitis prae infinito competere potest. Atque utraque repraesentatio analogica hic habet locum. Nam verbum nostrum nosterque amor repraesentant primum eam essentialē cognitionem, et essentialē volitionem Dei, in quibus illa eminentissime continentur, tum vero etiam eam essentialē exigentiam quam utraque habet termini immanētis qui per se subsistat. Sed prior repraesentatio clara est, ac lumine naturali detegi potest id quod repraesentatur; altera vero adeo est obscura, ut non nisi momento Fide eadem repraesentatio possit dignosci, et cum fide dignoscitur, videatur quidem in creatura intelligente et volente exigentia quaedam termini alicuius immanētis, non vero termini immanētis subsistentis, quod proprium est Dei. Quare ex nostro verbo et amore potest ratiocinando colligi tantum essentialis cognitio et essentialis volitio Dei infinita, omni imperfectione detracta et omni modo accidentali sublato.

VI. Itaque repraesentatur Trinitas a rebus sive per modum ima-

ginis sive per modum vestigii secundum ea attributa, per quae processio personarum habetur in Deo, ne dum secundum ea quae appropriantur personis. Trinitatis vero formaliter acceptae, prout nempe sunt tres personae distinctae in Deo, nulla est in rebus repraesentatio, ex qua ope luminis rationis Trinitas investigari possit: est tamen ea repraesentatio, per quam intellectus lumine Fidei illustratus eandem Trinitatem analogice percipere potest; quod sufficit ad rationem imaginis analogae.

Huc faciunt certissima capita doctrinae penes Scripturas et Patres, tum testantes dogma Trinitatis esse mysterium humanae rationi impervium, solaque revelatione in eius notitiam deveniri posse, tum idem mysterium proponentes et explicantes nobis conceptibus analogicis, sed veris, desumptis ex operationibus intellectus et voluntatis nostrae; tum docentes factum esse hominem ad imaginem Dei. Quibus nihil est in Theologia manifestius, sed quia haec proprie ad Tractationem de Trinitate spectant, satis sit modo ea inuisse.

SCHOLION. Hactenus de causa efficiente creationis. Ad haec revocari quoque potest questio quam I. p. q. XLV. a. 8 pertractat S. Doctor: utrum scilicet creatio admisceatur in operibus naturae et artis. Cuius quidem quaestionis non hic est sensus: utrum cum natura et arte concurrat Deus, eaque activitate qua potens est ex se creare; sed hic: utrum cum aliquod opus fit a natura vel arte, aliquid sit in eo opere quod solum a Deo per creationem producat. Haec autem dubitatio inducta est propter formas quas quidam negabant a causis naturalibus prodici. Iam vero cum nulla necessitate adigamur ad has formas admittendas distinctas a subiecto praeter animas in viventibus, quae certe creantur, quoniam sunt substantiae simplices; abstinere possumus ab hac quaestione. In ceteris enim operationibus naturae, omnis effectus ad modum quemdam reddit quo substantiae praesistentes modificantur. Nulla ergo realitas nova producit, nullus ergo locus creationi.

§. 2. DE CAUSA EXEMPLARI

Thesis IX.

Creatio rerum postulat veluti normam sui exemplar earundem in ipso Deo existens. Huiusmodi vero exemplar ipsa est divina cognitio distincta omnium possibilium determinata a divina essentia, quatenus ea cognitio obiectum esse potest cognitionis reflexae.

I. Doctrina, quae haec defenditur, redit ad doctrinam de Ideis, quas esse et quid sint docuit S. Thomas I. p. q. XV. Scopus quidem S. Thomae in q. XLIV. a. 3. est doctrinam platoniam de Ideis per se subsistentibus impugnare; cui ut nos quoque morem geramus, rem paucis perstringemus. Idea generatim est forma rei in mente artificis existens, secundum quam formam artifex rem ipsam exsequitur. Cum vero appellantur *ideae* absque ullo addito, eae generatim intelliguntur, secundum quas res omnes fiunt, et quibus res omnes assimilari debent ut sint; eaeque sunt *ideae divinae*. Quae ita definiuntur ab August. L. 83. qq. q. 46. «Sunt *ideae* principales formae quaedam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur... secundum quas formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit.» Ex quibus patet quinam sint characteres proprii *ideae*. Proprium est enim *ideae* 1) ut sit in intellectu tanquam *cognitum*, est enim id quod intuetur artifex ut operetur: ex quo consequitur quod sint etiam *principium obiectivum cognitionis* rei, cuius sunt *ideae*, sint nempe illud in quo *cognito* res cognoscatur; ratio est quia res fit similis illi: ergo *ideae* *cognita* et res cognoscitur; 2) proprium *ideae* est, ut sit *principium operationis*, dirigens nempe voluntatem ad opus, quia ad eius similitudinem res effici debet. Quam *idearum* notionem Elias quoque Cretensis expressit in Orationem 10. Nazianzeni his verbis: «Nos (Christiani secus ac Plato) opifices quidem rationes pie existimus et appellamus, per quas Deus omnia procreavit apud eum existentia, non autem ex cogitatione postea factas. Simul enim Deus, et simul apud eum omnium rerum tam quae in intellectum quam quae in sensum cadunt, rationes sunt.